Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.

Wien, 1794 Seite 2755

Quelle:
Copyright:

bam, quo ab aliis *Collationibus* in eodem negotio habitis dignoſcatur. *Exulta et lauda habitacio ſyon, quia magnus in medio tui ſanctus yſrael. yſaie XII°. Felicis recordationis dominus J.* (ohannes) *papa XXII. predeceſſor noſter volens inducere ad exultacionem et gaudium, laudem et iubilum eccleſiam militantem ſuper adepta gloria domini yuonis beloy presbiteri Trecorenſis eccleſie* &c. Iam enim apud hunc *Joannem* de *Ivone* Coelitibus inſcribendo egerant *Britanni*.

Ex indice ad *Cod.* calcem adjecto deprehenditur, *Collationes duas* ab eodem avulſas fuiſſe. Primae titulus eſt: *Contra archiepiſcopum Maguntinen. Filius noſter iſte proteruus* &c. Alterius: *In depoſicione eiusdem Archiepiſcopi. Cum iudicatur exeat condempnatus* &c. Utraque fuit in ſaepe memorato *Cod. Remenſi*, ut ex *Baluzii notis ad Vit. Papar. Aven.* p. 863. obſervo. Archiepiſcopus is, ut jam dictum, *Henricus* erat *Virnenbergius* aſſecla *Ludovici Bavari*. Latas in eum annis 1343. et 46. ſententias a *Clemente*, qui illi *Gerlacum Naſſovium* ſubſtituit, recitat *Od. Raynaldus* in *Annal. eccl.* neque tamen *Collationum* praeviarum meminit, uti nec *Nic. Serarius* in *Reb. Mogunt.* Codicem intus utrinque munit membrana continens *Raimundi Iſenward Sacriſtae Eccl. Avenion.* inſinuationem literarum *Clementis* VI. in quibus *poſtulato Caroli Rom. Regis* mandatur *Gerungo de Pirboum clerico Patav. Dioec.* provideri de beneficio, cujus collatio vel praeſentatio ſpectat ad Abbatem et monaſterium O. S. B. in *Manſee* (alias Lunaelacenſe Auſtr. ſuper.) *Patav.* Dioec. factam Epiſcopo *Patauienſi*, et memorato Abbati, amputatis tamen in fine notis chronologicis. Confer *Cod.* ſeq.

DCCLVIII.

Codex chartaceus lat. Sec. XIV. Folior. nunc 161. f. eſt enim principio mutilus, per duas columnas currente calamo exaratus, rubricisque notatus continet *Petri Rogerii Lemovicenſ.* ex Monacho O. S. B. Archiepiſcopi *Rothomag.* et tandem ſub *Clementis* VI. nomine *Rom.* Pontificis, qui ſedem ab an. 1342. ad an. 1352. tenuit, et *Aliorum* quorundam *Sermones Sacros*, quos, ut *Cod.* praeced. non tam materiae, quam Hiſtoriae lit. cauſſa ordine indicabimus a *Secundo* exorſi, cum *Primi* exordium deſit. *Sermo ejusdem magiſtri palacij ſacri factus in die beatiſſimi Michaelis.* In illud: *Angelis ſuis mandauit* &c. *Beatus Bernardus in ſermone de angelis* &c. 332

II. *fol.* 5. p. 2. *Sermo Sancti Vincencij per procuratorem ordinis minorum.* In illud: *Exiuit vincens ut vinceret* &c. *Conſuetudo fuit laudabilis in palacijs* &c.

III. *fol.* 8. p. 2. *Alius Sermo de ſancto Vincencio per generalem Miniſtrum minorum.* In idem Thema. *Secundum philoſophum res que eſt in proxima potentia ad actum* &c.